



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Decano Et Conventvi Casinensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

usque ad satisfactionem condignam per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo inviolabiliter observari.  
Datum ut in alia per totum.

*In eundem ferè modum scriptum est Archiepiscopo Tyrensi & Episcopo Sydoniensi. In eundem modum scriptum est Tripolitano & Anteradeni Episcopis. In eundem modum scriptum est Nimociensi & Famagustano Episcopis.*

JOHANNI REGI  
*Ierosolymitano illustri.*

Epist. 66.  
Super codem.

**C**VM inter Armeniae Regem illustrem &c. in eundem ferè modum ut in littera Patriarche Antiocheni usque occuparit, venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Tyrensi & Sidonensi Episcopo nostris damus litteris in præceptis ut auctoritate nostra predicam excommunicationis sententiam tam apud peregrinos quam apud indigenas terræ solemitate publicantes, eandem faciant per censuram ecclesiasticam usque ad satisfactionem condignam sublato appellationis obstaculo inviolabiliter observari. Quocirca serenitatem regiam monemos attentius & hortamur quatinus pro reverentia beati Petri & nostra necnon & intuitu terræ sanctæ fratribus ipsis, quorum subsidium eidem terræ nofcitur non modicum profuturum, ad recuperandum jura sua regium præstes auxilium & favorem, juxta quod supradictus Patriarcha suo discreto consilio duxerit providendum. Datum Laterani xiv. Kal. Iunij, anno quartodecimo.

*In eundem ferè modum scriptum est ipsis super hoc. In eundem modum ut in littera Regis Ierosolymitani scriptum est universis tam indigenis quam peregrinis in Ierosolymitanis partibus commorantibus usque observari. Quocirca universitatem vestram rogamus attentius & hortamur, per apostolica vobis scripta mandantes quatinus &c. ut in eadem Regis Ierosolymitani usque jura sua vestrum præstetis auxilium & favorem, juxta quod supradictus Patriarcha suo discreto consilio duxerit providendum. Datum ut in alia per totum.*

DECANO ET CONVENTVI  
*Casinensis.*

Epist. 67.  
De electione  
Abbatis Casinensis.

**C**VM electionis confirmatio postulatur, is qui præsidet examinare debet & processum eligentium & personam electi, ut si canonicum processum invenerit & personam idoneam, electionem ritè celebratam confirmeret, quandoquidem unum

sine altero non sufficiat, sed necessarium sit utrumque. Licet ergo dilectum filium Admulphum Casertanensem omnes pariter elegeritis in Abbatem, quia tamē in ejus electione præter formam quam vobis præfixis processistis, & ipse, quamvis de industria plurimum commendetur, nobis tamen ad plenum cognitus non existit, volentes & traditionem canonican & consuetudinem apostolicam observare, tam processum eligentium quam personam electi examinare disponimus diligenter. Verum cum temporis instantis necessitas hoc exposeat ut ipse, qui de nostro consilio & mandato rector est vestri monasterij constitutus, ad ipsius regimen diligenter intendat, ne absente pastore vicinus lupus gregem invadat, volumus & mandamus ut urgente hujus necessitatibus articulo, se à provisione monasterij Casinensis personaliter non absenter, sed eò prudentius ad ejus gubernationem intendat quò propensius propter electionem de ipso factam ad ejus obsequium obligatur. Nos enim, cum viderimus opportunum, ex causa quam vobis magis subintelligendam quam exprimendam relinquimus, tam ipsum quam quosdam è vobis ad nostram presentiam curabimus evocare; ut diligenter examinatione præmissa, in hoc negotio procedamus sicut Domino inspirante noverimus procedendum; id vobis ex speciali gratia intimantes, quòd quantum cum Deo poterimus, vestris desideriis concurremus. Quocirca devotioni vestrae per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus in vestro laudabili proposito persistentes, & contra electionem ipsam nihil penitus attentantes, taliter illi adesse curetis, reverentiam & obedientiam ei debitam impendendo, quòd ipse vestro suffultus auxilio commissum sibi officium utiliter exequatur, & nos interim prudentiam & honestatem ipsius valeamus plenius experiri. Datum Laterani ii. Nonas Iunij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

ILLVSTRI REGI \* AVOGVIAE. Cit. Celsi

**R**Ex noster potentissimus Iesu Christus, qui dominatur à mari usque ad mare & à flumine usque ad terminos orbis terræ, postquam pro redemptione humani generis semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, & mortis demum angustias spontanea voluntate subiit, in cruce positus sacratissimi sui corporis brachia expansa tenuit, ad signandum quòd non solum postquam assumptus esset, omnia, prout